

1.
2
3
4.
5
6.
7.
8
9



1673.

1. Beckmann, Joh. Volk: De lubrico aetatis.
- 2^a Beckman, Joh. Volk: De poena et jure ebraeorum.
2 exempl. 1673 & 1737.
- 3^a Beckmann, Joh. Volk: De eo, quod justum est circa
adoptionem minoris haereditis. 2 exempl. 1673 & 1749.
4. Beckmann, Joh. Volk: Ubi fides non servanda.
5. Beckmann, Joh. Volk: De eo, quod circa dies
justum est.
6. Beierus, Adrianus: De arcanis partium.
7. Falckner, Johann Christoph: De antiquo et moderno
adoptionum jure et statu.
8. Falckner, Johann Christoph: De re integra.
9. Falckner, Joh. Christophorus: De chirographo
praecipue vero eo, quod per vim extortum esse
dicitur. et l. 2. p. de his, quae vim metuve causa
gesta sunt.

1673.

10. Fulchner, Johann Christoph? *Jura convictorum*

11. Linck, Henricus: *De exoneratione conscientiae*

12^a et 2^a Linck, Henricus: *De subsidio patris*

2 Exempl. 1673 u. 1709.

13. Linck, Henricus: *De anatocismo occasione*

128 p. de usuris illustrato.

14^a et 2^a Linck, Henricus: *Jura finium* 2 Exempl.

1673 u. 1693.

15^a Linck, Henricus: *De usu testamentorum morali,*

civili, canonico et feudali.

16^a et 2^a Linck, Henricus: *De indicatione Romana*

Von Römisches Zinszahl. 2 Exempl. 1673 u. 1709.

line

pl.

si,

ma

1744

178

Handwritten text, possibly a title or header, mostly illegible due to fading.

Handwritten text, possibly a name or date, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a title or header, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a name or date, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a name or date, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a name or date, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a name or date, mostly illegible.





1673, 2^a 2

X

J. J.

DISSERTATIO JURIDICA

De

POENA ET JURE EBRIORUM,

Quam

Permissu Magnifici Jctorum ad
Salam Ordinis.

PRÆSIDE

V I R O

PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO ATQUE
EXCELLENTISSIMO

DN. JOH. VOLK. *Bechman* /
Hæreditario in Obern-Tröbra / JCTO &
Antecessore Longè Celeberrimo, Consiliario Saxonico
Eminentissimo, Curia Provincialis, Scabinatus & Facultatis
Juridicæ Assessoris Gravissimo

*Dn. Præceptore, ac Patrono suo æter-
num devenerando.*

Publicæ eruditorum censuræ subjicit

ADRIANUS *Bustorff* / Ascaniâ Saxo
Autor.

In Auditorio Jctorum

Ad diem Augusti. Anno 1673.

KOENIGLICH
UNIVERS.
ZVHALLE

J E N Æ,

Literis SAMUELIS KREBSII.

P 502

170



DISERTATIO JURIDICA
JOHANNES JURKE
ERRATA


1774
LIPSIÆ
IN AEDIBUS C. C. NEUBERGERI

AD RECTOREM UNIVERSITATIS
ADRIANUM WILHELMUM
DE RECEPTIS ET ALIIS REBUS

ADRIANUS WILHELMUS
LIPSIÆ
1774

1774





I. N. F.
PROEMIVM.

Ebrietatem vitium homini cane pejus & angue esse fugiendum, omnes saniores semper affirmarunt, idque atro carbone notandum usque putarunt. Augustino audit omnium flagitiorum mater, subversio sensus, radix criminum. Hugo de S. Victore nominat Judicium rationis obfusans. Petrus Raven. ait: ubi regnat ebrietas, ibi exulat ratio, intellectus obtunditur, hanc qui amat, non peccat, sed est totum peccatum. Nihilominus tamen nullo non tempore usque in hodiernum diem inventi sunt & inveniuntur, qui huic malo adeo addicti sunt, ut cum Philoxeno collum gruis, ad diutius perfrue dam suavitatem sic dictam, sibi optent. Verum enim vero, quanta mala, quanta delicta ex hoc flagitiorum fonte proveniant, toto docemur die. Et cum ejusmodi Hectores udi nunquam non excusationis loco & ad poenas aver tendas ebrietatem praetendant, operæ pretium duxi, si ulterius non quidem prout gravitas materiæ requirit, sed pro ingenioli mei tenuitate, de Poena & Jure Ebriorum disseruero. Quoniam vero, quicquid agimus in nomine Domini nostri incipere debemus, monente Apostolo *ad Coloss. 3. v. 17 juncta c. 16. C. 26. qv. 7.* Ad hoc enim omne principium, medium & terminus respicere debet *Novel. 109.*

in pr. quo etiam Duce ad omnia consilia, omnesque actus nostros feliciter progredimur *l. 2. pr. C. de off. Praef. Prat.* Proinde ad Justitiæ Fontem supplici libello confugio ardentibus precibus contendens, ut divite sua gratia mihi adesse, calamum dirigere, mentemq; illuminare velit, quo utilia cogitare ac concipere valeam.

CAPUT I.

Descriptionem ac subjectum denominans.

§. 1.

Moralistis ebrius describitur, quod sit persona aberrans à mediocritate ea, qua homo disponitur ad appetendum potum in quantitate, qualitate & pluribus circumstantiis aliis, quas recta ratio non præscribit.

§. 2. Physici in abstracto describunt, quod sit sensio molesta actionum principium, sensuumque tum internorum tum externorum, dependens à materia inebriandi vi prædita, spirituumque animalium influxum in organa sensus & motus inhibente.

§. 3. Nos *ebrium* describere cupientes, dicimus, quod sit persona intellectû privata, cui per privationem hanc oblivio sui ipsius generatur. *Carpz. Pr. Crim. part. 3. qv. 146. num. 37.*

§. 4. Synonymia adeo facile est, ut non mereatur meditationem. Homonymia hic venit notanda. Ubi ebrius discernendus ab ebrioso. Ebrius solummodo ab actu denominatur, præscinditurq; ab habitu. Ebrioso autem is dicitur, qui crebrius sese ingurgitat, & per hanc continuationem habitum habere dici poterat.

§. 5. Sub-

§. 5. Subjectum quod attinet, statuimus esse duplex, & *primum* quidem cerebrum, quod ut pars organica afficitur, læditur ac obstruitur. *Secundum*, hominem, nam totus homo inebriari dicitur. Et quidem simpliciter hominem non tantum homines Germanos, qui ob hoc male audiunt, & ut in certo genere vestitus inconstantes, ita in evacuandis cyathis constantes maxime proclamantur, diemque noctemque continuare potando nulli probrum apud Germanos tradit Corn. Tacitus de moribus Germ.

§. 6. Tanta prisorum in sumtuosa magnificentia fuit luxuria, ut non solum ministros à poculis haberent, verum etiam Magistros, cænarum inspectores, qui observarent. Optima fides habebatur sine respiratione bibere, nec barbam detergere, nec vitrum ab ore deponere. Inolevit etiam nunc consuetudo, ut neminem propemodum sibi devinctum ac amicum cupiant, quin prius strenue cum illis potaverit. Hinc non nemo: Germanorum vita, nihil aliud quam bibere.

§. 7. At male hæc ebrietatis pestis solis Germanis hereditaria dicitur, nam in nulla fermè parte mundi, quod dolendum, hoc cessat vitium. Græcos gulæ crapulæque fuisse deditissimos exinde constat, quod pergræcari pro Genio indulgere, in tritum abierit. Britannos potationibus nimium indulgere, manifestum exinde evadit, quod divites ibidem evadant Medici ex affectibus curandis ex crapula provenientius. vid. Försterus. l. 9. obs. 27.

§. 8. Julius Maximus Thrax erat, non Germanus, qui uno haustu amphoram vini deglutire sibi gloriæ duxit. *Eutropius*. Alexander M. Macedo erat, qui certamina potatoria instituit, & Promachum hominem bibacissimum in vini certamine victorem talenti corona donavit. Quid? ipse aliquot cantharos absque respiratione evacuabat.

bat. *Curtius Lib. V. cap. 7.* Non Germanus, sed Romanus erat Tiberius Claudius Nero, qui ob nimiam vini aviditatem Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero appellatus est. Præmio invitabat ad ebrietatemignotissimum nobilissimis anteponebat ob epotam in convivio, se propinante, vini amphoram.

CAPUT II.

Effectus Statuens.

§. 1.

Varii ebrietatis effectus se nobis sistunt. Nam qui vino & tumultuosa ebrietate delectatur, redditur insanus dicitur. *prov. 20. v. 1.* Ebrietas iudicium hominis pervertit ex Rege servum facit, ex sene puerum, ex sano insanum, è sapiente stultum, è stulto fatuum. inquit Grim. *l. 2. de opt. Sen.*

§. 2. Hinc alios vino potuque repletos videmus ridentes, alios currentes stoliditatemque infantilem præseferentes. Alios loquaces, alios magis pisce mutos, alios leoninam vim & audaciam imitantes, qui clamoribus, convitiis alios ex levissima, vel nulla plane causa insectantur, spumas volvunt in ore, oculis ardent & omnino sunt dementes. Et hi omnes pro temperamenti varietate sic variant. Hos autem effectus Physicis excutiendos relinquimus.

§. 3. Multorum quoque morborum ebrietas causa est. Præcipua, inquit Spinaeus *l. 5. de tranq.* causa ob quam ita fragiles & morbis obnoxii sumus, & quadragesimo aut quinquagesimo anno adeo debilitati, est intemperantia, & cibi potusque immoderatio. Namque testantibus Medicis, nullus ex affectibus capitis fere est, quibus non insectentur


stentur crapulae dediti. Venit etiam ex ebrietate colica, podagra, & alia morborum genera innumera, quin non raro accidit, ut multi ebriosorum obdormiscant, nunquam vero expergiscantur. Verum hæc, quia alterius sunt facultatis, nostra non facimus, sed ad illam, ne falcem in alterius messem immittere videamur, remittimus.

§. 4. Historias si consuluerimus tam sacras quam profanas, inueniemus, quod merito ebrietas fomentum omnium malorum dicatur. Nam ex ebrietate veniunt iudicia stulta, imprudentia, immodestia, arcanorum divulgatio, vitæ periculum, honoris iactura, stupra, adulteria, incestus, quod vel historia Lothi *Gen. 19. v. 33. seqq.* testari potest: Nec non viri illius pietati deditissimi, qui tentationibus diabolicis crebrioribus infectatus, ut ex tribus peccatis unum sibi eligeret, ut se nempe semel inebriaret, vel cum vicini uxore concumberet, vel vicinum occideret, tandem victus in primum consensit peccatum, quod iudicabat levissimum, verum ebrius facili negotio & cætera peccata perpetravit. Horum omnium exempla plurima refert *Theatr. vite humana Zwingeri vol. 9. l. 2.*

CAPUT III.

POENAM EBRIORUM DELINEANS.

§. I.

Um autem manere delicta impunita non debeant *l. 51. ff. ad L. Agr.* Nam ad statum Reipub. & felicitatem in illo conservandam multum facit delictorum coercitio, absque hac enim nulla Respublica diu consistere poterit. Hinc omnes fere legumlatores assidui fuerunt,

runt, ut per malorum coërcitionem Rempublicam conservarent. *l. 13. pr. ff. de offic. Præsidi.* Præsides, ut pacata ac quieta Provincia sit, jubetur maleficos homines conquirere, ac in eos pro qualitate delicti animadvertere. Tantum autem ebrietas vitium est, ut etiam in Sacro Codice *Sodomia* accenseatur *Ezech. 16. v. 19.* Proinde quam severissime prohibita est tam de jure Divino, quam humano. Sacra Biblia æternum Væ minantur *Eesai. 5. v. 11.* Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam & potandum usque ad vesperam. Væ qui potentes estis ad bibendum. Coelum interdicitur *ad Gal. 6. v. 21.*

§. 2. De jure Civili ac humano durissima extat Sæctio Imper. Maximil. I. ut potatores cum ignominia ab imperiis & officiis excludantur. In Recessibus Imp. Colon. de anno 1512. in quibus quod jam tum fuerat prohibitum, repetitur ibi. **Wiewol es in den vorgehaltenen Reichs-Tagen mehr denn einmahl verboten/ (potatio scil.) So ist es doch nicht gehalten worden/ ic. So soll solches in allen Landen abstellen / und das bey mercklichen hohen Poën verbieten / und so die von Adels das nicht meiden wolten / daß denn wir / ic. dieselben scheüchen und an ihren Höfen und Diensten nicht halten / und so einer deswegen geurlaubet würde / so soll ihn kein ander Fürst / oder Obrigkeit in ihre Dienste annehmen / die aber so geringes Standes wären / sollen sie an ihren Leibern hartzlich darum straffen.** Cui consentit Carol. V. Imp. reformatio Pol. anno 1530. in Recess. Aug. & de anno 1548. in Recess. Imp. von Zutrincken. Nec non Imp. Maxim. II. in Reuter Bestallung zu Spener aufgerichtet. anno 1570. art. 48. & seqq. Rudolp. II. Imp. ord. Pol. de anno 1577. tit. 8. Severissimi enim semper fuerunt Imp. Austriaci in puni-enda ebrietate, & Austriaca domus exhorruit ebrietaem, licet eorum regio vini semper fuerit fertilissima.

§. 3. Nec

§. 3. Nec Forum Saxonicum ebrietatem impunitam relinquere, apertum est ex Responso apud Carpz. *pr. Crim. part. 3. qu. 146. n. 28.* Hat sich euer Unterthan etliche Tage nach einander berauschet / und sehr voll gefoffen / und weil er dadurch seinen Nachbahren groß Ergernüß gegeben / habt ihr ihn zu einen nüchtern und mäßigen Leben vermahnet / und sich der Trunckenheit zu eusern anbefohlen / deme er zu wieder ohnlängsten dermassen bezechet / daß er nicht gehen können. So wird er deswegen 6. Tage lang mit Gefängniß / darin er mit Wasser und Brod zu speisen / in Straff genommen / mit der Verwarnung / daß wo er hinführo nicht davon abstehen wird / er mit einer höhern Straffe / auch wol mit Landes-Verweisung belegt werden soll. B. R. W. Mens. Jun. anno 1631.

§. 4. De jure Electorali Saxonico nullum videtur dubium restare, namque manifesta extat sanctio in Ord. Pol. de anno 1612. tit. von Zutrinken / quæ non modo potationes prohibet, sed & potatores immodicos coërceri jubet. Quæ ebrietatem semper prohibitam fuisse, satis probant, eamque & nunc severè prohiberi ac puniri, neminemque permissionis prætextu sese tueri posse, nisi quis has leges & constitutiones contrario usu & consuetudine abrogatas asserere vellet Gail. *lib. 1. obs. 110. num. 25.* Unde factum, quod ejusmodi sanctiones in contemptum abierint, & potatores sibi invicem propinarint : Es gilt die auff den Reichs-Abschied. Herm. Lather. *lib. 1. de censu c. 10. num. 32.* Sed absque nota impietatis hæ leges immutari nequeunt. Et cuivis Christiano ad vitandem ebrietatē vel sola vox & adhortatio Christi sufficere debebat. *Luc. 21. v. 34.* Cavete, inquit, ne corda vestra graventur crapula & ebrietate; nam taliurn regnum Dei non erit. Hæc quis-

B

quisq;

quisquis perpenderit, salva conscientia sese ingurgitare
nō poterit Quin duplici pœna ebrios afficiendos decrevit
Pittacus apud Laërt & *Arist. 3. Et hic. 5. Tiraq. de pœn. temp.
caus. 6. n. 9. Gail. l. 2. obs. 110. n. 16.*

§. 5. Hinc nonnullis gentibus vinum & omne genus
inebriandi omnino est interdictum. Turcis lege est inter-
dictum vinum bibere *test. Historicis.* Romanis mulieri-
bus vini usus penitus fuit incognitus, sobrietatis legi addi-
cte vivebant, claves etiam cellarias mariti loculis conde-
bant, si quæ vero lascivior his vivebat, infamabatur, te-
ste Val. Max. *lib. 2. cap. 1.* In Sacris vinum & omne quod in-
ebriat Sacerdotibus est interdictum. *Lev. 10. v. 9.* Regibus &
Magistratui *Prov. 31. v. 4.* Nolite Regibus dare vinum ut
inebrientur, ne forte bibant, & obliviscantur judiciorum
& immutent causas pauperum. Hinc ebrius iudex dicitur
sententiam *herausstöcken.* *Es. 28. v. 7.* Cum ebriosis con-
versari Apostolus *1. Cor. 5. v. 11.* omnino prohibet.

§. 6. Sed contra hoc assertum poterat unus vel al-
ter inferre, quod non tantopere sit punienda, cum sæpius
quosdam Baccho litantes videamus ad officia peragenda
alacriores. Imo talia quandoque ab his præstentur, quæ
à nullo sobrio possent expectari. Provocant ad exem-
plum Regis Cambysis, de quo Historici referunt, illum te-
mulentiaæ objurgationem Consilarii sui Prexaspis ini-
quissimo tulisse animo. Ut autem testaretur mentem in-
ter pocula esse sibi integram, iussit filium ejus in convivi-
um adduci, ad januæ limen locari, manumque sinistram
capiti imponi. Cambyses arcum intendit, atque sagitta
cor vulneravit, spiculum in corde pueri adhuc hærens pa-
tri monstrando interrogat, num certas haberet manus?
Producunt quoque Ennium, qui nunquam carminibus
scribendis sese accinxit, nisi vino madidus. Adducunt
Lampri-

Lampridem, qui vino repletus cum multa apposite diceret, interrogatus dixit, se thuri similem, quod calefactum suavem spirat odorem. Persas, qui postquam vino maduerunt, de rebus maximis decreverunt. Sed ut à particulari ad universale non valet consequentia, ita hæc recensita non eviacunt, homines vino madentes ad functiones obeundas sobriis esse aptiores, & sic minime punienda, cum & unus horum grande nefas homicidium nempe occidendo filiū Consiliarii perpetravit. Assurgunt quoq; hoc argumento: Bibens vinum consumit pecuniam in bonos usus *l. 34. ibique glossa ff. de minor. anima enim non potest habitare in sicco, quia Spiritus est.* Et omnia quæ in terrarum orbe inveniuntur propter hominem esse putentur § 37. *f. de rerum divis.* Producent quoque exemplum Davidis ex Sacris qui Uriam inebriavit. Sed quid de his & similibus sit statuendum, quivis facile videt.

CAPUT IV.

Personam Ebrii in civilibus considerans.

§. I.

Mens non inconcinne dicitur radix verborum, & quod cor linguæ sit Imperator, eamque sicut mancipium habeat sub jurisdictione sua ait Bald. *in c. mandatum de rescript.* Nemo enim præsumitur dixisse, quod mente prius non cogitaverit *l. 6. in fin. C. pro socio l. ult. C. qua res pignori obl.* Voluntas autem ac mens & intellectus formant ac distingunt omnes hominum actus. Hæc autem cum in actū quodam desiderantur, dispositio tum illa sine his facta, nullius erit momenti. Hinc non immerito quæri potest, num ebrius

B a

pactis

pactis à se in ebrietate celebratis stare teneatur? Nam pacta sunt servanda, & grave est fidem fallere *l. 1. pr. de Const. pec.* Nihilque fidei humanæ magis conforme, quam ea, quæ placuerunt servare *l. 1. ff. de pact.* Sed his non obstantibus, puto negandum, quia ratione, mente ac voluntate uti nequit Magnif. Dn. Præses Patronus ac Præceptor ætatem suspiciendus *Commentad π. Tom. 1. part. 1. ad tit. de pœnis arg. c. 14. de vit. & bon. Cler. C. 7. quest. 1. XV.* Hinc Dn. Jenenses consulti H. B. zu N. responderunt. Da ihr damals mit einem Trunck beladen gewesen und nicht gewußt / was ihr gethan / so seyd ihr demselben / was da zur Zeit euer Mühle halben versprochen worden / nach zu leben nicht schuldig. Dn. Struv. *Synt. Civ. Exerc. VI. tb. 37.*

§ 2. A transactionibus quoque ebrius licite removetur, quia ignorat ea quæ peragit, nullumque intellectum habere præsumitur. *VVesenb. de rit. nupt. num. 8. Arist. lib. 1. Et hic. 3.* Si quis autem ebrium illexit, ut cum aliquo transigeret, actus ipse jure nullus est *l. 65. §. 1. ff. de Condit. ind.* Dan. Moller *ad Const. 19. part. 2. num. 35.* Nec opus habet pœnitentia, quamvis stricti juris sit transactio, quia dolo ad transigendum inductus præsumitur. Dolus verò transactioni adversatur, eumque infirmat. *l. 4. l. 19. C. de transact.*

§ 3. Tutorium vel Curatorium ebrietati deditus suscipere nequit *arg. §. 2. J. qui test. tut.* quia rebus suis superesse non potest, nec seipsum tueri, cum tamen tutela sit propter tuitionem alterius, qui sese tueri non valet *§. 1. J. de tutel.* Sub conditione tamen constitui potest si nimirum ebrietatem reliquerit, & sobrietati studuerit *l. 10 §. 3. ff. de test. tut. §. 3. J. eod.* Si verò tutor datus est, postea autem ebrietati se nimium dedit, potest ut suspectus removeri, licet fidelis sit, quia non tantum fides, sed etiam diligentia requiritur *§. fin. J. de susp. tut. l. 8. ff. eod.*

§. 4. Po-

§. 6. Potationis finem nescienti, & qui sese ingur-
gitare non cessat, potius curator dandus, quia comparatur
furioso, mente capto *c. luxuriosa 3. C. venter meros 5. distinct.*
35. propter inductum mentis deliquium *c. 14. Extra de vita*
& honest. Cler. præsumitur prodig 1. 1. ff. de Curat. furios. Per-
sona, quæ rebus suis superesse nequit §. 4. *J. de Curat. omni*
voluntate l. 40. ff. de R. J. intellectu l. 14. ff. de Offic. Præs. sensu
l. 22. § 7. solut. matrim. mente §. 1. J. quibus non est permis. fac.
destituitur Dari etiam potest invito, præcedente causæ co-
gnitione *l. 6. ff. dt. add. l. 12. §. 10. tut. de cur. dat. Donell. 3. c. 18.*

§. 5. Nunc Curator quærendus, qui testamento non
datur §. 1. *J. de Curat. l. 1. §. 3. ff. de confirm. tut.* nulla lege id
regulariter permittitur, lege autem tacente Ictus erube-
scit loqui. Lege verò duodecim tabularum permittitur
parenti tutorem, non verò curatorem dare. Ratio est,
inquit Magnif. Dn. Præs. Com. π. Tom. 2. *ad tit. de*
confirm. tut. quia in voluntate minoris est, an velit accipe-
re Curatorem. Testamentum autem non debet ab alieno
pendere arbitrio. *l. illa institutio 32. de hered. Instit. Ebrio-*
sis tamen filiis pater testamento recte Curatorem dat, sed
ita, ut postea confirmetur arg. l. 27. C. de Episcop. audient.

§. 6. Dativus tamen Curator usitator videri pote-
rat. Non autem dat Præs. Præfectus urbi aut Prætor, sed
mutatâ Reip. formâ quilibet Magistratus municipalis tam
ex recepta consuetudine, quam jure scripto, prout consti-
tutum legimus *Ordin. Pol. Caroli V. Augusta anno 1548. pro-*
mulgata & à Rudolpho II. Francofurti anno 1577. confirmata
Rubr. 21 von der pupillen und minderjährigen Kindern Tutorn
und Vormündern vers. So wollen wir. Datur autem non
solum extraneus, sed vel ipse filius dari potest *l. 2 ff. de Cu-*
rat. furios. l. 1. C. eod. l. 12. §. 1. de Curat. tut. dat. l. 60. §. 4. ff.
mandati l. 3. C. eod. idque eo magis procedere puto, cum
parentem ebrium filius nec impune possit negligere arg.
Nov. 115. c. 3. §. 12.

§. 7. Filius ebriofus manet in patria potestate, & pater ebriofus retinet filios in potestate l. 8. ff. de his qui sui. Statum quoque, dignitatem, Magistratum & potestatem retinere l. 20. ff. de Statib. administrationem tollere videtur l. 8. ff. de tut. & Curat. dat. Nulla enim sana sententia ab ebrio iudice potest expectari, sed sententiam in Sacris evomere dicitur. Vid. §. 5. cap. prec.

§. 8. Matrimonium ebrius contrahere nequit Thom. 22. qu. 150. Wesemb. de ritu nupt. Intellectu enim ac voluntate destituitur, quæ tamen ad societatem hanc ineundam omninò requiruntur l. 9. l. 22. C. de nupt. l. 66. C. de don. inter vir. & uxor. Filius tamen ebriofus patris absque parente suo recte contrahit l. 25. C. de nupt. Retinet autem, si jam tùm est in matrimonio, illud, quia hodie præter mortem, duos tantum dissolutionis hujus ordinis modos novimus, adulterium scil. Matth. 5. v. 32. & 19. v. 9. ac malitiosam desertionem 1. Corinib. 7. v. 15. idem asserit Carpz. Jprud. Consist. l. 56. d. 6. Quibus addi posset commixtio Diabolica, si nempe Saga fuerit confessa, ob circumstantias certas verò supplicium ultimum non sustulit, maritus aliam uxorem ducere potest, prout respond. Lipsens. Mens. Novemb. anno 1613. Test. Magnif. Dn. Præs. in prel. publ. ad Gotbofr. Manuale Juris. Præter hos nulli admittuntur in Ecclesiis nostris, qui quidem vinculum matrimonii penitus dirimant. Mart Chemnit. in Exam. Concil. Trid. part. 2. de Matrim. sess. 8. can. 6.

§. 9. Nec ad sponsalia celebranda admittetur, nisi sub conditione, & si postmodum ratum habuerit. Nam cum quid prohibetur, & omne id per quod pervenitur ad illud, videtur prohibitum l. oratio ff. de Spons. ubi dicitur matrimonio prohibito, & sponsalia prohibita censerit c. 39. de R. J. Dan. Moll. part. 2. Const. 15. n. 65. Et qui nuptias

con-

contrahere nequit, neque sponsalia potest *l. 15. l. 16. ff. de Spons.* Excepto impubere, qui quid agitur, intelligit, recte sponsalia inicit, non tamen nuptias *l. 14. l. 9. d. t.*

§. 10. Testis ebrius deponens tempore ebrietatis reprobatur. Ebrius namque quid loquitur, nescit, & ideo furioso & ignoranti comparatur *l. 1. §. furiosus ff. de O. & A.* Fulg. *Conf. 80.* Testimonium est nullum. Decius *Consil. 112.* A testimonio enim pendet tota causa, quin non raro vita hominis.

§. 11. Omnis Contractus ab extremè ebrio factus, est ipso jure nullus, nec opus habet pœnitentia: Magnif. Dn. Præses *Com. π. vol. 1. part. 1. ad tit. de pactis Carpzov. Constit. 15. part. 1. def. 36.* Nullius est valoris *gloss. not. in c. unusquisque 22. qu. 4. Bald. in l. dolum C. de dolo malo.* Ob mentis enim alienationem nec velle nec consentire dicitur *c. 15. q. 1.* Sed potius dementi & furioso comparatur *c. 3. c. 5. distinct. 35.* Nullum negotium potest contrahere, quia non intelligit, quod agit *§. 8. de inut. stip. nulla eius voluntas l. 1. ff. eod. imo absenti l. 2. §. 3. de jure Condicill. l. 124. §. 1. de R. J. ignorantia l. 12. ff. de rebus credit. dormienti l. 1. §. 3. ff. de acquir. vel amittend. poss. quin mortuo propter rationis inopiam l. 24. §. 1. ff. rem rat. habet.* Similis est. Hinc nec facere potest testamentum *l. 9. C. qui testam. fac. pos. l. filius familias §. Marcellus ff. de testam. quia testamentum est testatio mentis & justa sententia l. 1. ff. qui test. fac. poss. hæc requisita vero in ebrio omnino desunt.*

CAPUT V.

*Ebrium in delictis constitutum sub-
jiciens, & quando excusatio-
nem mereatur osten-
dens,*

§. 1. For-

Forma vel causa constituens delictum est dolus malus, voluntas ac propositum delinquendi. Nam ex rescripto D. Hadriani Imp. in maleficiis spectatur voluntas, non exitus aut eventus *l. Divus 14. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. §. 1. 16. ff. de pœn.* neque tam factum, quam animi propositum & voluntas ejus, qui deliquit, in puniendo delicto consideratur *arg. §. 7. J. de oblig. qua ex del. nasc.* At nemo inficias ire poterit extrema ebrietate obrutum dolosè non delinquere, quippe ob mentis alienationem nec velle nec consentire dicitur. *can. sane 7. §. can. inebriarunt 9. caus. 15. q. v. 1.*

§. 2. Hinc rectè infero ebrietatem immodicam delinquentem in ea, ordinaria delicti pœna affici haud debere. Magnif. Dn. Præses *Com. ad π. Tom. 2. part. 2 ad tit. de pœnis.* Mascard. *de prob. lib. 2. Conclus. 579. num. 3.* Hancque sententiam firmat *l. omne delictum §. per vinum ff. de re mil. l. unic. C. si quis Imperatori maledixit* ubi dicitur per vinum aut lasciviam lapsis pœna capitalis remittenda est. Et licet talis ordinaria pœna puniri non debeat, tenetur tamen de pœnâ ebrietatis, & sic mitius debet puniri arbitrio judicis *Duen. part. 1. Reg. 159. amplia. 4.* Et hanc sententiam approbant Doctores Theologi, prout refert Joann. Gerson *in regulis moralibus lib. 1. col. III.*

§. 3. Crimen læsæ Majestatis divinæ vel blasphemia in terris Imperii, itemque in foro Saxonico pro qualitate & circumstantiis ultimo supplicio, relegatione, vel etiam aliâ pœnâ coërcetur. Hinc cuidam, qui virginem Mariam meretricem nominarat, & per consequens blasphemus in Filium Dei extiterat, pœna virgarum cum perpetua relegatione dictata fuit, hac tamen addita clausula: *Es wäre denn Sach / daß die Leute / so umb ihm geweest / sagen würden /*

würden/ daß er also voll und truncken gewesen / daß er nicht ste-
henmögen/ auch seiner Vernunft so groß entsetzet / daß er nicht
gewußt/ was er redet / solche Trunckenheit möchte ihn in etwas
entschuldigen. *Post. Weichbild sub tit. von Gotteslästerung.*
Et alii, qui cantilenæ ein Rindelein so löbelich blasphema im-
miscuerat verba, pæna gladii fuisset dictata, nisi excepisset,
quod propter summam ebrietatem quasi in exilio mentis
fuisset, idq; per testes probasset, proinde relegatio tantum-
modo fuit dictata à Dn. Jen. Mens. Majo a. 1613. Test Magnif.
Dn. Præsidi *in prat. publ. ad Gotbofr. Man. Jur. ad l. Jul. Maj.*
§. 4. Homicidium ab ebrio commissum ordinaria
leg. Corneliæ de Vicariis pœna non esse puniendum cense-
mus *per text. Can. sane cum duobus seqq. C. 15. qu. 1. gl. in c. ine-*
briarunt Lotb. eadem. C. 5. qu. Cum quo facit Dn. Richter
Vel. 15. t. b. 14. Bart. in l. aut facta ff. de pœn. Hinc Scabini Lips.
apud Carpz. Pr. crim. part. 3 qu. 146. num 43. responderunt:
Dieweil numehr zu befinden/ daß der Gefangene/ wie er N.
gestochen/ mit demselben sonst in ungueten nichts zu thun ge-
habt / dermassen bezechet und truncken gewesen/ daß er sich nicht
besinnen können; Somag er auch von wegen solcher Entlei-
bung am Leben nicht gestrafft werden/ er wird gleichwol mit
Staupen = Schlägen des Landes ewig verwiesen/ *D. R. W.*
Ac quod enormiter ebrius homicidium committens à
pœna legis Corneliæ excusetur hac demonstrari poterat
ratione. Quicumque impetu & casu quid facit, ille hoc
non potest facere ex proposito & dolo. Hæc namque sunt
opposita, quæ simul vera esse nequeunt. Ebrius autem
impetu delinquere dicitur *l. 11. §. 2 ff. de pœnis.* Deinde ho-
micidium ex destinata voluntate, ex proposito doloque
malo commissum, tantum ordinaria Leg. Corn. pœna pu-
nitur *l. 1. 2. §. 3. l. 7. l. 16. ad Leg. Corn. de Sicar.* Sed homici-
dium ab ebrio commissum tale non est *l. perspicendum 11.*
§. 2. ff. de pœn. C §. 5. Idem

§. 5. Idem dicendum videtur, si homicidium perpetrans talis sit, qui per consuetudinem & more suo ebrietatem appetiverit, quia huic non magis occidendi animus ac illi, qui præter opinionem est inebriatus, tribui potest, acerbiori tamen pœna ejusmodi farinae homo arbitrio judicis erit plectendus, quia rei illicitæ nimium operam dando sua ferme culpa in tale malum incidit. Vid. Dn. Richterius *vel 40. tb. 17.*

§. 6. Contrariam tamen opinionem tenet Bartolus sibi contrarius in *l. respiciendum in §. delinquunt num. 3. ff. de pœnis per text. in l. omne delictum in §. qui se vulneravit ff. de re mil.* Idem habet Florianus in *l. sed & si quemcunque §. in §. sed si infans ff. ad Leg. Aquil.* ubi dicit Florianus, quod iste talis punitur, tamen monitus quam si non fuisset ebrius. Cujus vestigia legit Baldus in *l. 1. num. 45. C. unde vi.* Et sic concludunt prædicti & alii Doctores, quod licet ebrius debet puniri ratione delicti, tamen quod lenius puniatur. In hac controversia quidam ita distinguunt, quod aut ipse non dedit operam, ut inebriaretur, sed forte deceptus fuit ex aliqua causa justa, & tunc non est pœna afficiendus. Aut enim dedit operam ut inebriaretur, & sciebat, quod in ebrietate existens erat solitus quasi ut furiosus alios percutere & mutilare. Vid. Petr. Duenas *lib. 1. Reg. 159. Ampl. 4.* ibique allegati DD. Alii aliter distinguunt inter ebrietatem, puta, & ebriositatem. Ebrietas ex casu & ignorantia nascitur. Ebriositas verò ex habitu vitioso & consuetudine prava oritur. Priori casu ordinariam pœnam locum non habere dicunt. Sic Loth propter inopinatam ebrietatem ab incestu excusatur Bart. *l. respiciendum §. delinquent ff. de pœnis.* Posteriori casu homicidam ordinaria Legis Corneliae pœna afficiendum censent. Videatur uberius Dn. Richterius *Vel. 21. tb. 40.*

§. 7. Cum

§. 7. Cum igitur ebrius delinquens pœna ordinaria, ut probatum dedimus, puniri non debeat, quæritur. Si ebrius alicui vi rem mobilem auferat, an huic post crapulam juramentum minutionis possit deferri? In hac quæstione distinguendum putamus, an res post crapulam integra existat, an vero non. Casu priori ebrius juramentum hoc præstandum videtur, quia rem mobilem auferens & contrectans facile de æstimatione ejus ac valore testari valet. Si vero non amplius integra deprehenditur, huic juramento locus non erit, quoniam ebrius intellectu mentisque ratione destitutus rei valorem scire haut poterit.

§. 8. Quid autem dicendum, si ebrius aliis injurias intulit? Dicimus, si quis præter intentionem inebriatus fuit, ita, ut nec pes, nec manus suum faciat officium, à pœna & palinodia sit absolvendus, cum animum injuriandi habuisse dici non possit, sine quo tamen nulla fit injuria *l. 5. C. de Injur.* ubi Imperator dicit; Si non convitii consilio te aliquid injuriosum dixisse probare potes, fides verà à calumnia te defendit. Ex quo text. Bald. dicit, quod animi absentia impediatur actionem injuriarum nasci, & quod hæc actio causetur ex voluntate seu affectu inferentis. Quod probat textus ad litteram *in l. 3. §. 2. ff. de injur. ibi*: cum injuria ex affectu consistat. Ob perturbationem nec rationis nec judicii compos est ebrius *can. 2. can. 9. C. 6. qu. 1.* Idque non solum in levioribus, sed etiam gravioribus injuriis locum habere putamus, ubique enim par est ratio. Si tamen culpa ejus arguatur ad damnum ex *L. Aquilia* resarciendum, eum esse obligatum concedimus. *Dn. Richter. Velit. 14. tb. 7.*

§. 9. Ingens est beneficium non teneri probare. Et quandoq; grave onus est probatio, quia non usque cadit in

externos corporis sensus Mascard. *de probat. conclus. 410. num. 21.* Non tamen ebrietatem prætendenti fides illicò est habenda, sed illam allegans, nisi manifestò constet, probet. Qui enim aliquid in iudicio intendit, allegat, asserit, iudici illud probare tenetur *l. 12. l. 9. l. 19. ff. de prob. incumbit probatio illi qui dicit, non qui negat l. 2. d. t. l. 2. C. eod. Nov. 18. c. 8.* Affirmativa probatione indiget, non negativa *l. 23. C. d. t.* Negativa facti probari non potest *l. 10. in fin. C. de non numer. pecu.* Debet autem in hoc nostro casu probatio regulariter fieri testibus, & his fides habenda est, si probabilibus conjecturis deponant delinquentem ebrium fuisse *Carpz. Pr. Crim. part. 3. qu. 146.* Si autem testes haberi non possunt, delinquens ad iuramentum non admittitur. Ne tamen probationis defensione omnino destituatur torturæ subjici potest. *Magnif. Dn. Præses Com. ad π. tit. de pœnis Carpz. d. l.*

§. 10. Non omnis ebrietatem allegans illamque etiam probans à pœna ordinaria erit exemptus. Nam qui sibi proposuit, quod velit delictum perpetrare, & ebrius factus in effectum id deduxit, tunc exceptione ebrietatis non obstante, pœnam ordinariam vix effugiet. *Magnif. Dn. Præses Com. ad π. Tom. 2. part. 2. ad tit. de pœnis. Carpz. pr. Crim. part. 3. qu. 146. n. 56.* Neque ordinariam pœnam effugiet, qui scivit, quod in ebrietate constitutus sibi temperare non possit, sed alios offendat & percutiat vel aliis rebus Venereis abstinere nequeat. *Magnif. Dn. Præses d. l. n. 31.* Hinc Lips. Mens Febr. anno 1608 pronunciarunt: *So möchte er von wegen solches begangenen und bekanten Gebrauches seiner angezogenen Trunkenheit ungeachtet mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode gestrafft werden B. N. B.* Nec ebrietatis exceptio sublevamen huic afferet, quem ebrietate remissa delicti non pœnituerit. *Quia tunc*

tunc ex sublecuta ratificatione palam est, quod idem delictum vel sobrius commisisset, merito proinde ordinariâ poena plectendus Menoch. *de arbitr. Judic. quest. lib. 2. cas. 326. num. 10.*

§. II. Et sic qui ebrius delictum perpetravit ab omni poenâ non liberatur, licet per testes ebrietatem demonstrarit, nec delictum committere proposuerit, ac delictum commisisse poenituerit, utut ebrius dolo carere videatur, culpa tamen non caret, quæ casum processit quia ignorare non debebat rei illicitæ operam dando aliquid mali à se per ebrietatem admissum iri, ideoque extraordinariè pro ratione culpæ plectendus erit. *l. 27. §. 9. C. 133. ff. ad Leg. Aquil.* Hæc sunt, quæ temporis ratione & ingenii tenuitate in publicum proferre volui. Plura equidem desiderat materia, ut vel integer tractatus sufficeret, sed hæc pauca pro ratione instituti sufficiant.



C 3

Noster

Noster *Sala* tuum ingenium,
studiumque Themistos
commendat, calamo dum ju-
sto *Vltore bibaces*
persequeris. Laudandâ sic Themis
excole curâ,
Nam Tibi promerito sunt præmia
summa reposita.

*Per - Eximio Dn. Autori
amicâ m. & m.
gratulab.*

Johann-Volk. Bechman D.
& Præses.

Madrigal.


Denn die Krafft der heißen Neben
Den schwachen Muth umbnebelt hat
Und man nicht will gebunden seyn
An die wohl-löblichen Gesetze/
Entstehet ein Laster volles Leben
Und manche Frevel-That/
Die reißt mit ein.
Darumb hat auch Justinian
Das wohlbekandte Band der Satzungen
Deswegen wohl versehn/

Wie

Wie man auß dem vernehmen kan/
Was hier Herr Büßdorff hat gewiesen.
Der Rechtsgelehrte wird verstehn/
Daß Er mit Recht drum wird gepriesen.

Dieses wenige wolte seinem Vielgeehrten Gönner
und gewesenen Herrn Contubernali glück-
wünschend mit anfügen

Jacob Abraham Börner/
Ronneb. Jur. Stud.

 Vis non blanditiis, hoc quis non tempore diro
Quærit fautores pocula quando tument.
Fœdera qui pangit, fraterno more tenetur
Exhaurire boni pocula bina meri.
Aulicus est Coridon nec tanto munere dignus,
Qui potare satis se didicisse neget.
Crimina cur listis? Metuis nec prodere pœnas
Busdorffi? Bibulis sic odiosus eris.
Aureus ast Phaëton rabidos latrare Molossos
Non pallet, Juris sic utriusque potens
Laudibus hinc magnis tollendus, dignus honore
Busdorffi, Themidis munera recta probans.
Conatus laudo & venientes grator honores
Ex animo, fausto sidere cuncta fluant.
Ut vigeas, valeas, ascendas culmen honoris,
Sic jubeo, & lauru tempora cincta volo.

*Amoris bisce specimen
Politissimo Dn. Conterraneo suo gratu-
labundus exhibere voluit
& debuit*

Christianus Wolff/ Theolog. Stud.
En!

EN! docto mundo, BUSTOFI, more decente
Ingenii dotes sistis dum Jura gulosi
Et poenam monstras: Laudant hoc velle Patroni.
Ergo Tibi laudes dignas ut carmina fundam,
Svasit amor noster, suaserunt munia nostra.
Ast! quid opus versu gracili? Tibi carmina docta
Dent docti. Verum mea non sint irrita Vota:
Te DeVs post aVVM serVet feLICiter Ingens.
Plurima sic scribes, dices sic plurima Docta.

Ita Pereximio Dn. Autori Jur. U. Cultori
indefesso, amico suo dilectissimo ex
animo gratulabatur

Matthias Waldemann/ Ascen. Sax.
Phil. ac Philol. C.

F I N I S.






ULB Halle 3
003 358 763




(f) Sb.

WNA







1673, 2^a 2

X

J. J.

DISSERTATIO JURIDICA

De

POENA ET JURE
EBRIORUM,

205 P 502

QUAM

Permissu Magnifici Jctorum ad
Salam Ordinis.

PRÆSIDE

V I R O

PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO ATQUE
EXCELLENTISSIMO


DN. JOH. VOLK. *Bechman* /
Hæreditario in Obern-Tröbra / JCTO &
Antecessore Longè Celeberrimo, Consiliario Saxonico
Eminentissimo, Curia Provincialis, Scabinatus & Facultatis
Juridicæ Assessoro Gravissimo

Dn. Præceptore, ac Patrono suo æter-
num devenerando.

Publicæ eruditorum censuræ subjicit

ADRIANUS *Bustorff* / *Ascaniâ Saxo*
Autor.

In Auditorio Jctorum
Ad diem Augusti. Anno 1673.



J E N Æ,
Literis SAMUELIS KREBSII.